



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vivat Rex Carolvs

Franz <I., Frankreich, König>

[Köln], 1519

VD16 F 2325

Reverendissimi Illvstrissimi que domini ac potentissimi principes, sacri  
Romani Imperij oculatissimi, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34650**

# SEQVNTVR

ORATIONES TREIS, QVARVM

prima a legatis regis Gallorū, p̄ fauore suo regi, Impetator designaretur, cōciliādo, ad principes electores Franckefurdiam est missa. Altera p̄ Generosum Comitem Hermannū Nuenarium, pro inuictissimo Carolo Ro. iam rege electo in Franckefurdien. comitijs extempore edita. Tertia exhortatoria ad eundem, auctore doctissimo uiro. LL. doctore Iacobo Sobio, Nobilibus apud Franckefurdiam iuentibus.



## REVEREN

DISSIMI ILLVSTRISIME

que domini ac potentissimi principes, sacri Romani Imperij oculatissimi, ac sapientissimi electores, post summissam humilemque commendationem ac Salutem, Ioannes Dalbret Drocorum Comes, dominus aureæ uallis, Guillelmus genfier, dominus de Bonepet aurati, Equites Christianissimi Francorum regis ordinis, & Carolus guillart, præses senatus Parysiens. ipsius Christianissimi Regis Oratores, ab eodem prouinciam expressumque mandatum superioribus diebus acceperunt, commonefaciendarum cum omni reuerentia, ac debita ueneratione Reuerendissimarum, ac Illustrissimarum dominationum uestrarum, earundemque suppliciter obsecrandarum, atque obtestandarum, super quibusdam rebus, quæ ad communem Christianæ Reipublicæ utilitatem, honorem, gloriam, ac libertatem sacri Romani Imperij uidentur imprimis

A ij

57  
pertinere. Cum itaq; exploratum habeant sibi facultatem suppetere non posse conueniendi Reuerendissimas excellentissimasque dominationes uestras, & iisdem in publico ac celebri omnium uestrum confessu (quemadmodum & sperauerunt & uehementer optarunt) publica oratione congrendi. Idcirco rogant, supplicant, obtestantur, ut tam ob reuerentiam, atq; honorem ipsius Christianissimi regis, quam suscepti muneris, ac deman datae sibi prouinciæ executionem sinere uelitis, immo si opus fuerit iubere in auspiciatissimo atq; foelicissimo uestro conuentu ita perlegi hasce admonitiunculas breui oratione contentas, ut omnibus audire liceat, ac liquide intelligere quæcunque in ipsis comprehenduntur. Eas nimirum præfati orationes ad Reuerendissimas excellentissimas dominationes uestras mittendas esse operepretium duxerunt, & cum omni humilitate, impensaq; uobis debite reuerentia, legendas offerre. Quas si liberali atq; ingenuo uultu, pro insita uobis incredibili, ac prope diuina bonitate atq; facultate admittitis, rem plane feceritis & omnium sententia, iudicioque probandam, & tam grauium tamq; excellentium principum gloriae & decori imprimis consentaneam. Reuerendissimi excellentissimi principes ac domini  
Deus optimus maximus uobis, ac  
secundis rebus uestris benignis  
sime foelicissimeq; fauere  
dignet, eisdemq; sp tue  
ri. Ex Confluen  
tia quinta  
Iunij.

Reuerendissimarum excellentissimarumq; ac potentissimarum dominationum uestrarum obsequētissimi atq; humiles obseruatores, Christianissimi Francorum regis Oratores ac Legati.



Vanto maiores nostri con-  
filio, quanta in rebus gerē-  
dis prouidentia excellue-  
rint, quantam subsequen-  
tium longo tractu saculo-  
rum, uacaturæq; posterita-  
tis ratiōem habuerint, uel  
hoc uno liquidissime uo-  
bis compertū esse reor Re-  
uerendis. Illustrissimi do-  
mini Excellentissimi ac potentissimi principes, q; subla-  
ta omni discordiarum seditionumq; occasione, pacatum  
ac tranquillum, p uiribus suis, Christiana Reipu. statum  
relinquere curauerunt. Nunquam sane auspicius, nun-  
quam fortunatius, nunquam melius, foeliciusue consul-  
tum, p̄spectumq; fuisse Augustissimæ Imperatoriæ ma-  
iestatis Culmini animaduertimus, q̄ ubi deligendi crean-  
diq; Romani Regis, ac subinde Imperatoris potestas at-  
que auctoritas, omnium principum Christianorū cōsen-  
su, uobis septem uiris principibus credita est. Nunquam  
enim cades immēsa, nunquam atrocissimæ strages, orbi  
uniuerso defuerunt, q̄ diu inter procellas militares, turbi-  
nesque bellicos, exercitui licuit Imperatorem designare,  
qui sæpenumero, quem nuper, ut sibi iucundissimū atq;  
gratissimum concordī suffragio delegerat, mox facto im-  
petu iruens, maximo fauore, in acerbissima odia, leuissi-  
mis plerunq; ex causis repente commutato, trucidare  
non uerebatur. Sic Sergius galba, Sic Otto, sic Aulus Vi-  
tellius, sic Alexander, sic pleriq; alij Ro. principes atq;  
Imperatores, partim a suis, partim ab aduersariorū militi-  
bus truculentissime cæsi, non sine magno totius Imperij  
dedecore, atq; iactura occubuerunt. Cum itaque non sit  
cōsiliū in uulgo, non ratio, non discrimen, non dilige-  
tia, sapientissime cautum fuit superioribus sæculis, ut se-  
ptem uirorum reato res ad paucos integritate, sapientia,

omni denique uirtute insignes deuolueretur, qui meritis ac  
uirtutibus, iustissimo ac rectissimo prudentiae suae exami-  
ne, accuratissime circumspectissimeque appensis, & pace,  
& bello, idoneum ex omnibus principem designarent.  
Vos inquam septem principes, qui ueluti septem triones  
in caelo, reliquas splendore atque ordine stellas antecedunt,  
ita uos in terris auctoritate, potentia, uiribus, consilio, ge-  
nerositate, sapientia, non modo Germaniae, sed aliarum quo-  
que gentium, periculis, ac principibus praelucetis. Nec in  
hoc munere designandi Imperatoris uobis propediem  
obeundo, ex animorum uestrorum candore, ac generositate,  
uos quicquam admissuros plane intueor, quo maxima  
de uobis apud omnes populos, ac caeteros orbis terrarum  
principes, integritas aestimatioque minuatur. Grandem sa-  
ne prouinciam, ac prope uiribus imparem mihi suscepisse  
uideor, qui in tantum confessum magnis de rebus uer-  
ba facturus prodij. Caeterum quia ueritatis oratio soluta  
esse debet ac libera, per pauca de huiusmodi rebus elo-  
quar, quae nec a ueritate abhorre, nec forsitan inuicun-  
da uobis fore perspexero. Non solum Reuerendissimi  
domini Illustrissimi Excellentissimi principes, Christia-  
nitas, quae Europae sinu ambituque clauditur, sed Africa  
& Asia tota, uniuersaque terrarum orbis, ac penitissimae illi-  
us nationes, gentes, populi, in uos conuersi, tanquam in  
sublimi quadam arce atque specula constitutos, intentis  
oculis, arrectisque auribus adsunt, circumlustrantes ac ex-  
plorantes, cui tantam rerum molem, cui totius orbis habe-  
nas sitis credituri, quem tantae dignitati, tantisque admi-  
nistrationibus praefecturi. Tantopereque de uestra omnes  
integritate, uirtute, constantia singulari confidunt, ut il-  
lum haud dubie uos augurentur Romanum Regem de-  
signaturos, qui inter idoneos sit maxime idoneus, qui-  
que uirtute ac fortuna caeteros omnes antecellat. Quae sane  
duo, ad res splendide fortiterque gerendas, non tam com-  
moda, quam necessaria esse uidentur. Virtus suis ipsa ui-

uiribus contenta, ex se quidem sola quæ plurimum, fortuna sine uirtute imbecilla, paræ admodum ac propemodum nihil potest. Altera uero alterius ope sic adiuuat, ut coniunctæ, arduissima quæque non modo aggredi, sed & facile perficere queant. Porro si recti animi, syncerique iudicii perpendiculo rem ipsam demetimur, etiam rationis, non affectionis examine stateraque uti uolumus, nemo tam socors, tamque a communi (ut aiunt) sensu alienus, qui non plane uideat Christianissimum Regem Franciscum, cæteris tam fortuna, quæ uirtute eximia præstare, nullumque esse penitus, qui tam expedite, tam efficaciter, quæ ipse possit, uel nutabundum ac ruinae proximum Imperium suis uiribus fulcire, uel socordia incuriaque maiorum iam lapsam erigere, uel ipsius maiestatem sublimitatemque depressam, in pristinam auctoritatem gloriamque restituere. De cuius regis fortuna, uiribus, potentia, quid nunc attinet dicere? quum uos ipsi satis superque exploratum habeatis, quantas militum copias, quantos exercitus, suis ipse sumptibus alere consueuerit, uestire, armare, ac plerumque socios uiribus hostium lacessitos, armis, uiris, equis, comitatibus iuuare, eisdemque quæ celerrime opitulari. Iam uero uirtuti ipsius quæ potest facundia, quæ oratio, par inueniri? Quomodo hac obsecro tempestate inter principes orbis terrarum reperias, qui sit ætate, uiribus, ingenio, potentia, opibus, strennuitate, diligentia, cum eo conferendus? Aut in quo tot eximiae dotes, atque ornamenta Imperatoriae dignitati excellentiaque consentanea inueniantur? Nullas profecto res ei deesse constat, quas ille Oratorum princeps Tullius optimo cuique Imperatori necessarias esse profiteretur, Scientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, foelicitatem. Quanta enim est illius in tolerandis sudoribus, algoribusque tam diurnis quam nocturnis patientia? Quanta in aggrediendis periculis, quaque intrepida uirtus? Huius nimirum fortitudinem, robur, potentiam, ferocientes Heluetij, ab hinc paulo plus triennium

A iij

apud Insubres, collatis, ex improviso signis, nō tā cogno-  
uere, q̄ admirati sunt. Qui incautum adoriri, & cum ex-  
ercitu per insidias opprimere studentes, ab eodem paucis  
admodū captis ac diffugientibus, magna uī atq; incredi-  
bili uirtute oppressi fuere. Nec tamē in stragis reliquias  
(q̄d per facile poterat) desequere, grassariq; perrexit. Sed ea  
hūanitate atq; clemētia usus est, ut difficile dictu sit, utq;  
hostes magis uirtutem eius pugnantes timuerint, an mā-  
suetudinem uicti dilexerint. Nec facile discernas, belli  
an pacis artibus melior. Quis est enim mortalium uel in-  
compensandis prāmiandisq; militum laboribus, amico-  
rumq; obsequiis, munificētiō ac largior? Quis in conci-  
lianda externorum principum beneuolentia foelicior? in  
eac; retinēda constantior, magisq; perseverans? Per pau-  
ci admodum principes sunt, qui cum eo uel iam dudum  
amicitiā non inierint, uel inire cupidissime non expeti-  
erint. Neminem plane uestrum ignorare arbitror, quan-  
to ipsum honore, quanta magnificentia Leo .P. M.  
annis superioribus in Bononiam, alterni colloquiū gra-  
tia admiserit, quantis muneribus, obsequiis, gratificatio-  
nibus, cū eodem tunc Veneti certauerint. Cui sese suac;  
ita deuouerunt, ut nihil sit tam arduum, tamq; difficile,  
quod non eius causa parati sint aggredi, atque efficere.  
Qua demum fati benignitate, qua foelicitate factum fu-  
isse putatis, ut rex Anglus, superiore autumno, ex hoste  
pniciosissimo, socius officiosissimus, ex inimico infestissi-  
mo, suauissimus amicus, hoc animo, hac lege effectus sit,  
ut patriam, opes, liberos, salutem denique propriam, re-  
gijs obsequiis perpetuo addixerit. Singulis singula horū  
suppetere & partim adesse uideas, in hoc uno affatim cu-  
mulateq; cuncta cōire manifestissime iudices. Quis nā igitur  
dubitare posset, huiusmodi principem maxime, ac  
prāter ceteros idoneum ad suscipienda Imperatoriā di-  
gnitatis moderamina, quā tametsi non posceret, quin po-  
tius respueret ac refugeret oblata, ob tam prāclaras tamē

eius dotes ad ea suscipienda, plerisque alijs eadem sibi com-  
mitti efflagitantibus, a uobis Reuerendissimi Excellen-  
tissimi principes exhortandus compellendusque ueniret,  
ac demum reluctans, obnitensque ad Imperatorum  
fastigium protrahendus. Ad quod efficiendū & quam-  
ocyslime præstandum, si non sua ipsius uaria uos, mul-  
tiplexque uirtus alicui ac permouet, inuitet saltem. Tum  
uero id faciendum esse uobis persuadent grauissima dis-  
crimina, religioni Christianæ impendentia, quibus (nisi  
mature accurratur) omnia protinus pessum itura sunt.  
Animaduertite quæso peniculatius, & ante oculos ue-  
stros paulo accuratius proponite uelocissimam, truculen-  
tissimamque Turcarum rabiem atque insaniam, qui  
non contenti Asiam quammaximam, eandemque &  
floquentissimam, & opulentissimam orbis terrarum par-  
tem nepharijs, atque spurcissimis legibus suis iampridem  
subdidisse, nihil hactenus a se actum arbitrantur, nisi Eu-  
ropam (cuius iam superioribus annis bonam partem oc-  
cuparunt) & totius Christianismi regna, prouincias,  
agros, ciuitates, oppida, non modo spoliare ac diuexare,  
sed etiam ferro ac flammis passim uastare, foedissimeque  
depopulari pergant. Et quod est longe omnium miser-  
rimum atque calamitosissimum, Christianam religionem  
funditus euertere, suamque ac Belluinam introducere  
moliuntur. Quis a uera religione? quis a pietate & diui-  
no cultu tam auersus? quis tam clemētiæ? quis tam huma-  
nitatis expers? cui cum hæc tam atrocía in mentem ue-  
nerint, non solum non commoueatur animo, sed etiam  
non toto corpore perhorrescat. Non est opus rei atroci-  
tatem, quam foedissime in pleraque Christianorum oppi-  
da atque urbes, effrenata Mahumetum licentia, insanæque  
cupiditas exercet, pluribus explicare, aut oculis uestris  
subijcere, cum uos ipsi & a summo nonnunquam Pon-  
tifici, & a plerisque alijs frequenter super his fueritis com-  
monefacti. Quibus sane periculis quis uel celerius ob-



uiam ire, uel tãto furoris incurfus potentius, efficaciusue,  
quam rex ipse Francus repellere coercereq; potest: Ne-  
mo Reuerendissimi amplissimiq; principes in medijs flu-  
ctibus, atq; procellis (nisi mentis inops) iam imminente  
naufragij periculo, gubernatorem nauigationis ignarum  
eligendum, & gubernandæ nauis præficiendum censet.  
Nemo quum pleno Marte dimicandum est, & iam in-  
structa acie congregiendum, quempiam scientiæ milita-  
ris imperitum (ni modo desipiat) in ducem exercitus  
optandum, assumendumue arbitrat. Viderunt cæteri  
quid in quac; re diligenter cogitandum faciendumq; sit.  
Ego (sic me Deus iuuet) nunq; mihi persuadere potui, ut  
uos magna prudentia, magno consilio, maxima experi-  
entia princeps quandoq; summam rerum cogitaueritis  
eius manibus uenire tradendam, qui non fortunæ ac na-  
turæ cõmodis, atq; animi dotibus oēs antecellens, optimi  
semper Imperatoris munia foelicissime præstare possit.  
Nec uobis præterea Reuerendissimi Illustrissimi prin-  
cipes cæterisque Germaniæ proceribus nouum, atque  
cuiquam inauditum esse debet, aliquot olim reges Fran-  
cos nõ minore populi Germanici, quam sua ipsorum &  
foelicitate, & gloria administrando sacro Imperio præfuis-  
se, qui Germaniam templis, cœnobijs, & tam publicis,  
quam priuatis ædificijs decorare, uarijsq; ac pretiosis mu-  
neribus locupletare studuerunt. Quæ cum uulgo pro-  
crita sint, ac prope omnibus peruia, ea consulto præterire  
uolui, ne illorum inculcatione molestiam uobis afferre  
uiderer. Hoc unum tamen nequaquam præterierim,  
Franciscum regem, si Dei optimi maximi, ac uestro mu-  
nere Imperij dignitatem adipiscitur, a maiorum suorum  
præstantia uirtuteq; minime degeneraturum. Qui non  
modo illam æmulari, uerumetiam (si qua fata sinunt)  
uincere, contendet, dabitq; enixissime operam, ut neq; in  
eo (superis adiuuantibus) Augusti foelicitas, neq; Titi  
humanitas, neq; bonitas Neruæ, Troiani probitas atq; iu-

stitia, Constantini religio, Theodosij pietas, Caroli co-  
gnomento magni rerum fortiter magnificeq; gestarum  
gloria, incredibilisq; liberalitas atq; magnificentia ab aliq;  
desyderet. Non utiq; ignorat mores, naturaq; Germanici  
populi, qui est libertatis suae appetentissimus, eiusq; tuen-  
dae ac retinendae studiosissimus atq; acerrimus uindex. Tã  
profecto aberit ut eam minuat, profliget, eripiat, ut uel  
eandem sp̄ augere amplioremq; reddere conetur. Eocirca  
non solum Germanicae libertatis assertor erit ac propaga-  
tor, uer̄ etiam subditos omneis regia semper benignitate  
fouebit, & paterna quadã indulgentia ita complectetur,  
ut omnes aliquando Germani foelicissimum illum sibi di-  
em iudicent illuxisse, quo non tam humanis suffragijs, q̄  
diuina quadam sorte tantum Imperatorem, ac patrem pa-  
triae nacti fuerint. Ne sane quicquã est, quod Germani  
Francor̄ amicitiam, coniunctionemq; uel respuere de-  
beant, uel auersari, qui & natura, & consuetudine, & disci-  
plina sunt omniũ mortalium lenissimi atq; mitissimi, qui  
se quoq; Germanis & hospitalissimos semper exhibue-  
runt, & amicissimos, si quando negotiationis, uel com-  
mertij causa peregrinantes ad illos diuerterunt. Quineti-  
am Germanor̄, Francor̄q; unam olim fuisse Rempub-  
licam, alterosq; ab alteris mutuan traxisse originem, &  
antiquitates uestrae testantur, & nomina quondam ue-  
stris urbibus indita, quae in hodiernum usq; diem super-  
sunt, manifestissime indicant. Hinc Frãconia antiquissima  
florētissimaq; p̄tia. Hinc Frãckofordia de Frãcor̄ noie  
appellata, celeberrimũ totius Germaniae emporiũ, oppi-  
dũq; & nobilissimũ & augustissimũ. Multoq; iã & no-  
bilius, & augustius ex tãtor̄ principũ, & p̄cer̄ gl̄iosissi-  
mo foelicissimoq; cõuẽtu, designandi eligendiq; Roma-  
ni regis gr̄a facto, Proinde Reuerendissimi amplissimi-  
q; dñi Illustrissimi ac potētissimi p̄cipes, si hũanis rebus,  
si cõi oĩm salutĩ consultũ eẽ uultis, si imminẽtia Ch̄rianae  
pietati discrimina penitus amoliri, si honorẽ uestrũ, decus,

amplitudinem, famam, gloriam, tueri, conseruare et imi-  
tareque expetitis, et in posteritatem transmittere. Si Impe-  
rii fines, atque ditionem propagari, si optimo cuique morem  
gerere, atque gratificari percupitis, quod auspiciatum, bea-  
tum, bonum, faustum, foelixque sit & uobis, & uniuersae Reip.  
Christianae, Christianis, regem Franciscum, regem Ro-  
manum designate, consalutandumque Imperatorem com-  
muni suffragio decernite. Vestra porro laus, neque tenuis,  
neque obscura erit. Hoc ciuitates, hoc populi, hoc princi-  
pes (paucis forsitan exceptis) non loquuntur modo, ue-  
rum etiam personant Franciscum regem dignum esse  
Imperio, & ita dignum, ut nullus eo dignior hac tempe-  
state reperiatur. Nihil utique ab eo immaturum, nihil prope,  
nihil asperum formidandum est. Omnia seria, cuncta gra-  
uia, & quasi ipsa Respub. iubeat auguranda sunt. Cura-  
bit, enitetur, efficiet ne uobis desint & fortia facta, & sal-  
tem uobis atque Imperatori digna consilia. Bonam parte-  
rem geret ex consilio & sententia uestra. Nec eum alio-  
qui immutatura est fortunae amplitudo, nisi ut prodesse  
tantum possit, ac uult uobis, ac populo Germanico pro-  
spiciet, & ueluti praesens ac tutelare quoddam numen, ab  
omni periculo tueri liberareque conabitur. Sua perficiet  
opera, uiribus, consilio, diligentia, ut nihil unquam a uo-  
bis gestum fuisse auspiciatus, gloriosius, foelicius mox in-  
telligetis, quam eum regem Romanum designasse. Qui  
omni cura, studio, industria elaboraturus est, ut tutam omni-  
ex parte, ac tranquillam fortunam cum populis atque  
ciuitatibus uestris foelicissime trahatis. Ut ue-  
stram denique, ac uestrorum salutem suo-  
ipsius ac proprii capitis discrimine  
liberam ab omni assaultu perni-  
cieque hostili prospere &  
foeliciter tueatur. No-  
nis Iunij. M.  
D. XIX.